

Bibliothèque numérique

medic@

**Le Clerc, Claude Bartholomée Jean -
candidat / Vacher, Simon - président. -
An Scientae viris, praeclarae foeminis
artes ?**

1785.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°118***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0118](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0118)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ nonâ
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXXV.*

M. JOANNE AUGUSTINO COUTAVOZ, Chirurgiæ
Gallico Idiomate Professore designato,
M. SIMON VACHER, Regis exercituum in Insulâ Corsicâ Medici
primarii vices gerente Doctore Medico Præside.

An Scientiæ viris, præclaræ fœminis artes.

I.

LONGO jam innotuit ab ævo, mentem & corpus ita simul mutuo & intimo
jungi foedere, ut malè affecto corpori condoleat anima, valente & recreato
corpore, bellè se pariter habeat mens hilaris; & vicissim mens morosa
corpus languidum elumbe, vegetum verò & alacré festiva socium habeat.

A

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

2

Non mirum igitur si inspiratus aër vel nitidus, vel crassus, assumpta alimenta vel tenuis, vel visceri succi ingenium faciant, vel subtile, vel tardum, vel hebetè, vel acutum. Sic qui puro gaudentes Occitaniae caelo, Montis Pessulani, vel Biterrarum incolae jocosì, salubrem inspirant aërem, acris & arguti laude florent ingenii, dum è contrà Belgarum sub caelo degentium caliginoso, crudus & caligat animus. Jucundus & floridus aspectus Italiae, jucundiores forsàn Ariostii chimeras peperit, dum è contrà nihil nisi maestum, nihil nisi truce somniant aeternis confepulti nivibus, fumosi Russiarum incolae. Sic, quos pingui è malis expresso liquore saginat Neustria colonos, non ut Vascones generosis inebriatos succis uvarum, lepidos, dicaces, leporum & facetiarum difertos reperias. Fœcundi fontes hilaritatis & urbanitatis Gallicae salutentur pleni campani calices; at Britannicae severitatis & tristitiae, acculentur haustus lupulatae cerevisiae tristiores. Quod si corporis alimenta alia & alia diversimodè mentem afficiant, neque stupendum erit si alia & alia scientiarum studia, quae mentis sunt pabula, sanitati corporis efficaciter tuenda, vel penitus evertenda, plus minusve conducant. Sic abstrusis infixus computationibus & calculis Geometra cogitabundus, oblectamenta vitae, tutissima certè sanitatis praesidia, fastidit. Quem si à studio aegrè divulsus ad theatrum pertraxeris invitum, huic nè ridicula Thaliae persona, nec Tragici Melpomenes planctus, lenem risum, aut levem fletum elicient; inter immodesto risu corruentes, inter effusè lacrymantes immotus stat solus; hunc audias placidè dicentem: quid exindè probati? Furtim illico Spectaculo se subducit, ad amata revolat studia, peractas jam rationes reputaturus, novas inchoaturus, donèc labore victus improbo, immodicarum quas natura vetat vigiliarum, ipsi naturae luat poenas. Hunc videas incedentem non hominem, sed spectrum hominis, excavatos benignus fugit Morpheus oculos, aut si pactis cum insomniâ brevibus induciis, ad tempus remittatur vigilia, nequaquam debiti fruitur beneficio somni, quae diù peracta sunt computa, somnians animo reputat, ita ut laboriosis diebus noctes agat laboriosiores. At ille quem indulgentius habuerunt alumnum musae, qui nescit laborem, cujus è fœcundo per ludum defluunt calamo versus faciles, diù lætus lætitiâ spargit, & noctu dum otio indulget placido, nihil nisi suave, nihil nisi jucundum delirat, donèc vix elucente crepusculo suscitatus, hilari salutet auroram cantilenâ. Hunc sanitate vigentem declarant rosei vultus nitor, non mendax ciborum appetentia, coctio facilis & prompta, quaecumque uno verbo vegetae dantur indicia valetudinis.

Cùm igitur tam vivide corpus afficiant mentis pabula, non absolum videbitur, si ingentis habitâ ratione discriminis quod fuit naturam inter masculinam & muliebrem, tum in ordine Phisico, tum in ordine morali, interpositum, quae huic quae illi sexui convenient, assignaverimus.

QUEMADMODUM generalem corporis vitam constituunt speciales organo-
rum vitæ (1), ita & ex eorum integritate particulari totalis exurgit corporis
incolumitas. At eheu! non nobis miseris mortalibus perfectâ sanitate frui datur quam
bellè moderata largiretur partium harmonia, non nobis quibus cruciatus intrâ ma-
ternos prima affulsit aurora quibus intrâ proprios ultima dies expectanda. Is itaque
valere dicitur, cui levis duntaxat organi cujusdam læsio, leve corporis totius sanitati
detrimentum affert; ideò & fit æstimatio morbi, prout plùs minùs ve receditur
ab eo felici statu quem harmonicum supposuimus: undè prima ea eruenda con-
clusio, perquam periculosum grassari morbum, si perquam nobile lædatur
organum. Quis autem omnium nobilissimum non agnoscet cerebrum, quod
omnibus providens, sensationum quasi speculum, motuum fons, immò &
cogitationis instrumentum esse videtur? non mirum igitur si ægrotante cerebro,
ægrotent simul & corpus & anima; cujus commercii causas indagare non fert
animus. Hoc (2) alii tribuant insulsè vibrationibus quibusdam ab assignatis
corporis centris, ad alias partes tendentibus; principium admittant alii (3)
mentem inter & corpus medium, per quod alterutrius mutationes utrique
transferantur: non ad nos. Id duntaxat inconcussum posuit experientia, altio-
ribus & protractioribus animi meditationibus insistere pedissequa, melancholiam
hypochondriasim, eos uno verbo morbos omnes è tardiori sobolescentes hu-
morum circuitu, dum pariter defatigato & dolente corpore (4), quasi sopita
mens hebescit. Res autem aliter sese habere mirandum prorsus foret, si
attendatur quibus corporis motibus adjuventur altæ mentis cogitationes. Eam
rebus abstrusis hærentem, implicatam, immerfam comitatur diaphragmatis tensio,
proindèque retardatur respiratio, cujus moram sequitur mora circulationis,
Actione quasi spasmodicâ tentantur parietes abdominis, undè cohibita peris-
taltici motus alternatio, undè præpedita alimentorum cœctio, proindèque
sufflaminata partium nutritio. Ejusmodi sustinendis impunè sanitatis tentationibus
sexum utrumque non æquè parem creavit natura. Itaque inter animi pabula
ea sequiori assignentur, quorum imaginationis acie quasi inchoata digestio, in-

(1) « Vitam habent animantia & animantium partes ». Hypocrates de Aliment.

(2) Videas LaCaze, *Traité de l'Homme physique & moral*,

(3) Videas Barthez, *Elémens de la Science de l'Homme*,

(4) « Mens increfcit cùm adest fanitas, cujus curam habere eos qui rectè sentiunt præclarum
» est. Ubi verò corporis habitus dolet, mens ad virtutis exercitationem, nullam adhibet diligen-
» tiam præfens enim morbus animam vehementer hebetat, & intelligentiam in affectûs cognitionem
» secum adducit ». Democrit. in Epist. ad Hippoc.

genii alacritate promptè perficiatur, ne quid incoctum relinquatur, quod brevi nauseabundum haberet indolis inconstantia. At eum apud sexum quem commendant innata ad sublimia propensio, innixa ratione sciendi cupido, imaginatio probè temperata, iudicium maturum, impedimentis stimolata constantia, cum facultate, si fas sit ità loqui, coëtrice polleat mens robusta, permittantur illi difficilioris coctionis alimenta, quibus in propriam substantiam vertendis minimè se præbet imparem.

I I I.

QUOS muniis valdè dissimilibus tum naturalibus, tum civilibus, adimplendis viros & fæminas destinari vellet natura parens, valde dissimilibus ideò tum corporis tum ingenii dotibus instrui curavit. Ea enim præter organa, quæ generis humani in perpetuum renovandi certa sunt pignora, quæque vel marem vel fæminam constituunt, innumera dantur specimina, quibus sexum dignoscas utrumque. Vir qui potentiùs incumbat aratro, latiori conspicuus est pectore, remotioribus à se invicem humeris, breviori quam validè coercent pectoralis & deltoïdes muscoli claviculâ; corpus totum procerius, robustius, fibrâ constatacrassiori, telâ cellulosâ stipatori; musculorum illi major moles, asperior ossiumcompages, meliùs expressa processuum inæqualitas, validiores pulsantis Aortæ contractiones & dilatationes alternæ; addas quod duri mentum exasperent crines, veneranda virilitatis insignia. Masculi quem ad dominium natura vocavit, quasi totius Orbis Imperatorem, iussu proclamat vox ore pleno superbè resonans. Ad ardua natus nescio quid asperi ne dicam ferocis spirat, stimolata periculis roboratur ejus studiosa constantia, adeò ut ex ipsis difficultatum ambagibus suppetat filius, cujus ope è labyrintho protinùs expediatur. In corpore virili mens habitat mascula, robusta non venusta, tritum iter carpere dedignatur, inaccessam amat rupem superare, in agro plano nunquàm incedit, ad montis fastigium adrepit.

At fæminæ quibus laboriosum sinùs telluris fulcandi non fuit munus imperatum, sed moderandæ domûs & regendæ, alendæ prolis & educandæ, beandæ societatis & exhilarandæ fortunata fuit demandata cura, iisdem nèc corporis nèc ingenii viribus indigebant. Ideò nèc eadem ac viris habitûs præstantia, ideò nèc eadem mentis indoles. Pro robore venustas, pro rudi musculorum asperitate, formosa rotunditas artuum, pro fibrâ, durâ, stipatâ, textus cellularis humidus, mollis, laxis. Placidior sanguinis circuitus languidiùs vasa propellit. Non hispidâ sædatur facies barbâ, sed tenellâ, persici ad instar pomi, rosea cutis induitur lanugine. Non deterret audientes vox horribilis, sed demulcet qui blandus subauditur sonus. Nèc minoribus ingenium quàm corpus muliebre beneficiis natura cumulavit. Conceptio prompta, memoria tenax, imaginatio sæcunda, eloquium facile, responsio concinna, hi sunt laquei quibus,

si vultus non deliniamur illecebris, certò certius etsi nolentes irretiamur. Itaque non miremur si fœminæ quæ nunquàm inconstantem expertæ fuerunt victoriam, quæ non emptis triumphis assuevere, si quis forsàn suis victricibus armis opponatur obex, ne minimos quidem ad eum superandum adhibeant conatus, rata scilicet, id ut vincant satis & super esse, si videant & præsertim videantur. Aliundè cum iis careant quæ sudoribus informantur vires, etsi quosdam nifus afferre luberet, incassum ad opus sese accingerent, continuïs non induratae laboribus, quibus exantlandis, eas, ipsarum & studia & temperamenta fecerunt inhabiles.

I V.

UBI voluptatibus luxus dicavit aras, ibi nunquàm domicilium posuere scientiæ; ab iis enim exulant ingeniis, quæ ut fucum faciant, scientiarum quasi colore irrigata, assiduis parcunt laboribus, quibus, ut ipso penitus tingerentur fuisset insudandum. Quem insensum experiuntur luxum scientiæ eundem amicissimum habent artes præclaræ. Undè viri quos fecit institutio dura & agrestis duos & agrestes, scientiarum operosum exarare valeant agrum; fœminæ verò naturâ delicatulae & molles, educatione molliores adhuc & delicatiores, iis indulgeant artibus quibus idoneæ potius nascuntur quàm fiunt. Sic ille de quo jam egimus geometra *cui vivere est cogitare*, die integrâ in domi secessu quasi sepultus, non interruptâ animi meditatione, soluto tandem problematis nodo, si postea inter deambulandum nuper excogitatam praxi demonstraret theoriâ, novus ille quò corpus exercetur labor, defatigari sit ingeniû debita recreatio, sit & malorum quæ protractiorem animi contentionem secuta fuissent certissima medela. Sic rerum naturalium indagator, qui in triplici regno naturam pertinaciter interrogat, postquam ad incognitum eruendum fossile telluris penetralia fuit rimatus, postquam ad eliciendum naturæ arcanum, lurido cadaveri studiosus incubuit, hunc ne credas, quietis gratiâ futilibus oblectamentis tempus terere; rure divaganti, nitidus cœlorum aspectus, lucis in obscurâ fodinâ desiderata, cumulata pendit usuram; dùm in singulis floribus quibus jueundè tellus distinguitur, nova miratur phenomena, lætum vigentis naturæ spectaculum, ejusdem mortuæ sædam delet memoriâ, salubres florum halitus putridis inquinatos miasmatibus purgant humores. Talibus impares laboribus quis negabit fœminas, si quidem ipsa congrua scientiis oblectamenta, vires earum longe superent. Cum ipsis in lucem editis, proprio arriserit operi natura, suâ sorte vivant contentæ, denegatis non superbientes viribus, graviora non affectantes onera, discant.... quid valeant humeri, quid ferre recuseat. Imbecilles Athletæ in scientiarum arenâ, descendant in artium palæstram, multiplici procul dubio coronâ cingendæ. Ad instrumentorum hilarem rithmum

passibus eleganter compositis, dùm suæ venustatis præmio, mirantium nempe plausibus, gaudent, fanitati consulant; sic enim desidiosæ quam degunt vitæ vitia corrigunt. Blandisonâ voce cantum modulantes, audientium aures demulceant, sicque novum respirationis organum robur addant. Per molles errantes clivos, carthæ minutam mandent imaginem, quam haud imitando delineavit in amœno rure natura penicillo; sic moderato vacantes exercitio, id superveniet commodi, quod perpetuâ pacis agrestis contemplatione, aletur aurea pax animi, ipsis fanitatis fons saluberrimus. Suo tandem indulgentes génio (1) scribant amabiles versiculos, in ludis floralibus haud cruentas misceant pugnas, sicque à domûs & familiæ curis mens utiliter abstrahetur, ut postea promptior & alacrior solita instaurare munia valeat.

V.

JAM mulierum patronos, muliebrium etiam ineptiarum præcones, de sexu clamitantes audio trosculos, quod olim de vetere catone Livius: *Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia, ut natum ad id unum diceret quodcumque agat*. Platonem, inquiunt, ignoras easdem & viris & fæminis assignare Provincias? Mendacem ne fecerunt Philosophorum Principem clarissimæ *Du Chatelet Agnesy*, aliæque benè multæ (2) quas inter doctissimos viros nec injuriâ numerant scientiæ. Hæc non mediocrem Newtonianæ laudis sibi partem vindicavit, illa quidquid in *infinitesimali* calculo abstrusius est, assiduis fuit scrutata lucubrationibus. Perbellè quidem: cùm molli perditoque Anacreonte (quem fanè non recusabunt Judicem) sit mihi fas illis reponere. Forma mulieribus flammâ ferroque potentior; at denegandam ipsis prudentiam (*φρονιμα*) solummodò viris concedendam natura decrevit. Nec est cur eam accusent nevercam, quæ cum ipsis quidquid est leporum, quidquid venustatum largita sit, quem eis indulgit tùm corporis, tùm animi nitorem decenti cultu adjuvari, non ambizioso

(1) La Poésie est un amusement propre à leur besoin, c'est un art folâtre & subtil, déguisé, parler, tout en plaisir, tout en montre comme elles... En la Philosophie elles prendront les discours qui les dressent à juger de nos humeurs & conditions, à se défendre de nos trahisons, à régler la témérité de leurs propres desirs... Supporter la rudesse d'un mari, & l'importunité des ans & des rides, & choses semblables; Voilà, pour le plus la part que je leur assignerois aux Sciences. *Montaigne Essais, T. 3. C. 3.*

(2) La Signera Maria Gaëtana Agnesi, publicè docuit Bononiæ Mathesim. Helena Lucretia Piscopia Cornara, laureâ Philosophicâ solummodò cùm laude fuit donatâ, An 1678.

Laura Bassi Doctor Med, in Universitate Bononiensi fuit renunciata,

ornatu jussit (1) obscurari. Cum verò justas intrà limites contineri nesciant;
vix scientiarum limen ingressæ, nihil nisi doctè garriunt.

(2) *Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta, quid ultra?
Concumbunt doctè.*

Undè cum acris ingenii Poëtâ liceat concludere :

Ergo scientiæ viris, præclaræ fæminis artes.

(1) Elles cachent & couvrent leurs beautés, sous des beautés étrangères. C'est grande simplicité d'étouffer sa clarté pour luire d'une lumière empruntée; elles sont enterrées & ensevelies sous l'Art, Montaigne. L. 3. C. 3.

(2) Juven. Sat. 6.

Proponebat Parisiis CLAUDIUS BARTHOLOMÆUS JOANNES LE CLERC;
Parisinus, in supremo Senatu Patronus, necnon Saluberrimæ
Facultatis Parisiensis Baccalaureus, Theses Author.
A. R. S. H. 1785.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1785.

